COMPARATIO PATHOLOGICA INTER ORGANA LACRYMALIA ATQUE UROPOËTICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGICA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOSEPHUS RODERBURG.

AQUISGRANENSIS.

OPPONENTIBUS:

AD. PFEFFER, MED. ET CHIR. DR.
ANT. PAPPERT, MED. ET CHIR. DR.
MICH. REY, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS JULII SITTENFELD.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO
DOCTISSIMO

J. CH. JUENGKEN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUT. OPHTHALM. IN CARITAT. NOSOCOM. DIRECTORI, SOCIETATUM LITTERARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

NEC NON

PATRI OPTIMO

HENR. JOS. RODERBURG

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AQUISGRANI MEDICINAM
FELICISSIME EXERCENTI

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L E C T O R I.

S.

Absolutis studiis academicis, quum ad dissertationem inauguralem conscribendam me accingerem et de argumento eius eligendo plane dubius haererem, illustr. Juengken, praeceptor meus quam maxime colendus, cui iam tantum debeo, comparationem inter organa lacrymalia atque uropoëtica pathologice instituendam mihi proposuit. Lubenter igitur secutus sum hoc consilium, quum res ipsa me valde teneret etsi rei difficultas vires meas exsuperet. Nam et rei novitate et quia adhuc nihil quoad pathologiam hac de re conscriptum est, difficultas mei suscepti ita adaugebatur, ut longiore, quam mihi concedebatur, tempore opus fuisset si materiam plane dilucidare suscepissem. Hanc ob rem etiam anatomiae et physiologiae hac in comparatione breviter solum mentionem feci. Huc accedit, quod tiro nondum tali instructus

sum peritia, ut rem omnibus numeris absolverem. Quae igitur hac in re manca et imperfecta videntur, haec lector benevolus temporis angustiis atque virium tenuitati magis tribuat quam voluntati.

Comparatio inter varia corporis humani organa et quoad anatomiam et quoad pathologiam instituta, ut mihi videtur, magni est momenti in medicina. Non solum enim hac ratione organa disperse et diffuse in corpore sita unum sub aspectum subiicere possumus, ita ut quasi uno in conspectu omnia videamus, sed etiam haec comparatio permultum iuvat et ad dignoscendos et ad curandos morbos. — Totum corpus humanum tam simpliciter, hac in simplicitate autem rursus tam artificiose et mirabiliter est constructum, ut nulla pars ab altera abhorreat, sed potius multa organa, praecipue illa, quibus similis functio data est, quod ad structuram, rationem physiologicam et pathologicam pertinet permagnam similitudinem prae se ferant, etiamsi primo adspectu plane diversa atque permultum discrepare viderentur. —

Ita res se habet de organis lacrymalibus atque uropoëticis. Pauci tantum scriptores in hunc usque diem hac de re quaedam protulerunt, in iis vero celeberrimus de Walther primus sententiam edidit, maximam existere similitudinem omni respectu inter systema lacrymale et uropoëticum. Mihi liceat hic paucis tantummodo verbis ea afferre, quae hanc similitudinem constituunt. — Partes, systema unumquodque formantes, pari non solum numero, sed structura plerumque etiam affini reperiuntur. Sic in his systematibus glandulam, proprium secretum (in una urinam,

in altera lacrymas) secernentem invenies, et quamvis quoad penitiorem structuram hae glandulae non comparari possint, tamen similitudo non ignorari potest, ex qua maxima cum verisimilitudine ductus excretorii glandulae lacrymalis, qui secretum ad tarsum palpebrae superioris effundunt, conferri possunt cum tubulis uriniferis renum, urinam ad papillas renales transgerentibus. Praeterea in utrisque organis observamus receptaculum, in altero lacum lacrymalem, in altero vero calyces renales atque pelvim renalem, quae postea, angustiora reddita, in systemate altero canaliculos lacrymales, in altero ureteres constituunt. Per canaliculos vero lacrymales in receptaculum secundum, in saccum nempe lacrymalem, pervenimus, et simili modo ex ureteribus in vesicam. Hinc lacrymae tandem per canales lacrymales, urina vero per urethram ad exteriora deducuntur. —

Si physiologice haec organa respicimus etiam magnam similitudinem invenimus. Sic nervorum effectus in utraque organa magnam analogiam praebet. Inter omnes satis constant effectus psychicarum in systema lacrymale affectionum. Statim adaugentur secretiones si moestitia, dolor, voluptas et delectatio animum afficiunt, quod dependere videtur a ramo, qui a pare quinto ad hancce glandulam pertinet. Non raro etiam contrarium observamus in furiosis et maniacis inprimis hominibus, in quibus in paroxysmo secretio nonnunquam subito desinit et ad ophthalmias disponit. Itidemque observare possumus in systemate urinario, in quod pathemata modo relata animi aequali ratione agunt et secretionem tum adaugent, tum iterum deminuunt. Urina praecipue in morbis quoad qualitatem permutatur, saepe quoque lacrymas et sensu et gustu magis consueto salsiores observamus. — Weller[1]) eas in Ictero flavas invenit, et illustr. Juengken iam nunc liberaliter observa-

1) H. Weller: Die Krankheiten des menschl. Auges. ein praktisches Handbuch: Wien 1831, p. 127.

tiones suas mecum communicavit, ex quibus redundat, lacrymas non solum diversis in morbis, sed etiam in animi affectibus chemice permutari. —

Quibus paucis tantum verbis praemissis, ad rem ipsam, scilicet ad pathologiam horum organorum me convertam. —

I. MORBI GLANDULAE LACRYMALIS CUM MORBIS RENUM COMPARATI.

Renes aeque ac glandula lacrymal. laesionibus externis difficilius affici solent, eo facilius autem causis internis turbantur, tum autem eorum functio et figura graviter afficitur, atque vitae ipsi periculum comparatur. —

IRRITATIO.

Irritamenta, quae adsunt, aut normalia sed adaucta, aut insolita sunt, insident autem vel glandulis ipsis earumque ductibus, aut aliis corporis partibus, aut ipsi animo. In irritatione glandulae lacrym. animadvertitur aeque ac in irritatione renum secretio adaucta, sensus iniucundi et doloris incerti; atque hic status aut mox, causa remota, evanescit, aut transit in irritabilitatem adauctam aut in inflammationem.

IRRITABILITAS ADAUCTA.

Subdivisionem ibi adhuc instituere possumus in a) Irritabilitatem adauctam quod sensum doloris attinet — *Hyperaesthesin* — et b) quod secretionem attinet — *Erethismum* s. *Spasmum*, — Apud a) fit glandula sensibilior atque facilius movetur rebus externis; apud b) autem simul secretio est perturbata (in renibus *ischuria renalis.*).

Glandulae dolorem trahentem offerunt, rubore ac tumore prorsus deficiente; secretio diminuta, nonnumquam initio etiam adaucta est; nulla febris. Hic status saepe re-

frigeratione evocatur, tumque a plurimis Rheumatismus vocari solet, in glandula lacrymali saepe animi motibus, multa lacrimatione, in renibus multis rebus acribus sumtis, exempli causa abusu diureticorum exoriri potest. — Rosas[1]) hunc morbum *erethismum glandalae lacrymalis* vocat, dicit nonnumquam epiphoram adesse cum sensu obtuso, premente in regione supraorbitali et temporali, saepe etiam simul spasmus palpebrarum, cilia rigida, oblongata, conglobata, pupilla coarctata, photophobia observantur. Putat hunc statum pendere ab irritamentis insolitis externis, motibus animi, exanthematibus chronicis aut acutis, ab Scrofulosi, arthritide. — Prof. Juengken[2]) hunc morbum: *dacryadenalgian* vocat et dubitat quin re vera existat. — Etiam spasmus renum observatur, tum symptomata spasmi communis adsunt, ischuria renalis, dolor in regione renum subito atque periodice venit, non longe durat mox autem redit. Hic status cum inflammatione coniungi atque paralysin efficere potest. Pendet ab refrigeratione, concrementis calculosis, secundum Gregory[3]) ab consensu cum aliis partibus, sic cum intestinis, cum cute. —

IRRITABILITAS DIMINUTA.

Anaesthesis — *Torpor.* — Glandulae laxae, callapsae, minime dolentes. Secretio est diminuta plerumque sublevata et mutata (sic urina pallida, permultum muci atque nonnunquam partes sanguinis rubras continet; sic lacrymae non funduntur, Xerophthalmos adest). — In torpore glandulae lacrymalis oculus etiam tarde movetur, cornea non iam splendens sed iners et complanata, hebetudo visus,

---

1) A. Rosas: Handbuch der theoretischen und praktischen Augenheilkunde. Wien 1831. 2ter Bd. S., 345.

2) J. C. Juengken: Die Lehre von den Augenkrankheiten. Berlin 1832. S. 778.

3) Lond. med. Repos. Vol. VI., S. 353.

sensus ponderis et frigoris in orbita. — Torpori renum, ut ex *Illustr. Nasse, praeceptore meritissimo* me audisse memini morbus Bryhttii subiiciendus est, ubi praeter symptomata supra nominata urina adhuc albumen continet. — Irritabilitas diminuta saepissime inflammationem protractam sequitur et facile in degenerationem abit. —

INFLAMMATIO.

Primo illa symptomata afferre volo, quae his duabus glandulis communia sunt, tum autem ea, quae partim a partibus adiacentibus, partim a consensu cum aliis organis pendent, separatim describam. — Symptomata principalia haec sunt: Dolor vehemens, pressu adauctus, fixus, premens atque urens in regione affecta et eius vicinia (sic in nevritide in regione lumbali et dorsi, mox autem diaphragma, colon, hepar, ventriculum, humerum, tum regionem pelvicam, crura atque vesicam occupans; in dacryadenitide in fossa lacrymali, in regione supraorbitali, temporali, mox bulbum, frontem et maxillam inferiorem occupans.) Tumor in duabus glandulis adest, maior autem in dacryadenitide, palpebra enim superior tumefacta dolet, mox autem etiam bulbus a tumore deprimitur, ita ut sine dolore elevari non possit. — Rubor in dacryadenitide maior, ibi etiam coniunctiva scleroticae ac palpebra superior rubet. — Ardor magnus, qui et in sensu aegroti et manu dilucide sentiri potest. — Febris acerba, inflammatoria, noctes insomnes, sitis, non appetitus ciborum et nonnunquam delirium. Secretio est alienata aut plane perturbata; sic in glandula lacrymal. Xerophthalmos adest, in nevritide urina nulla aut parca, laete rubens, fusca, ardens, iumentosa secernitur. —

Bulbus oculi in dacryadenitide durus, sensibilior et eius commotiones turbatae mox autem plane sublevatae apparent. Omnia supra nominata symptomata mox crescunt, bulbus fit immobilis, simulque ex fossa orbitae ad nasum protruditur, pupilla est coarctata, iris fit rigida, visusque

multis sub photopsiis evanescit. Mucus glandularum Meibom. inter cilia conglobatur atque ea conglutinat. — In nevritide saepe singultus, sternutatio, gustus amarus et multa secretio muci in ore [1]), vomituritio et vomitus, colica, alvus retardata, tenesmus, tympanitis abdominis observantur, saepissime etiam testes spastice ad canalem abdominalem adtrahuntur, et si morbus summopere processit, convulsiones et vesania apparent. Aeger solummodo sedere potest, si in latus affectum aut in dorsum incumbit dolor vehemens exoritur. — Saepe in his inflammationibns etium glandula alterius lateris eodem morbo afficitur, quod ex magna affinitate et consensu illarum partium elucet, atque nobis periculosam morbi complicationem constituit. —

Etiam *inflammatio chronica* harum glandularum notanda est, haec magis pendet ab mixtione sanguinis morbosa, a Dyscrasiis, sic inflammatio scrofulosa, arthritica. etc. Hic symptomata supra nominata partim tardius decurrunt, partim imaginem illorum morborum prae se ferunt, quibus ortum debent. —

SUPPURATIO ET ABSCESSUS.

Inflammationis symptomata, si ad summum pervenerint, hunc morbum indicant, dolor qui antea lancinans et premens fuit, magis pungens et pulsans fit, tensio illa magna sensim deminuitur, rubor fit fuscior et ad colorem coeruleum spectat. Febris inflammatoria remittit et sensui frigoris, ponderis, horroris cedit, qui vespere adaugetur et saepius redit. In loco affecto sensus pulsationis et fluctuationis nonnunquam etiam frigoris percipitur, dolor ibi aliquid remittit, mox autem redit. Pus longum per tempus, quin sponte erumpat, vomicis contineri potest. — Secretio aut est adhuc plane sublevata, aut, si quid excernitur, purulentum apparet; ut in suppuratione renum urina initio fit albidior, quo-

1) Dzondi: Lehrbuch der Chirurgie. S. 344.

dammodo spastica, mox autem pus continet quod in sedimento conspicitur et moleste foetet. —

In suppuratione glandulae lacrymal. pus solummodo duabus viis extrinsecus evacuari potest, et quidem: a) In coniunctiva inter palpebram superiorem et bulbum oculi. Hic coniunctiva valde rubens et tumida inter palpebram et bulbum prominet, tumorem fluctuantem formans, in quo plura puncta suppurationis conspiciuntur. b) In externa parte palpebrae superioris in regione temperali. Hic cutis externa sensim tenuatur, fluctuatio atque punctum suppurationis observantur. Tandem abscessus rumpitur, multum puris, (sanguine, tela cellulosa et lacrymis mixti), secernitur, et magnum ulcus sinuosum relinquitur. —

In suppuratione renum pus septem viis evacuari potest; et quidem:

1) Abscessus rumpitur et contentum in pelvem renalem mittitur. —

2) Abscessus non quidem rumpitur sed magis magisque crescit, substantia renum destruitur et resorbetur, semper maior puris copia secernitur, ita ut postremo cutis externa renum cutem externam abscessus formet, et mirifice extendatur. C. Pisa[1]) casum habet, ubi talis saccus quatuordecim libras puris continebat.

3) Abcessus rumpi potest quum ren cum partibus adiacentibus non concretus sit, tum pus aut musculum psoadem sequitur et rursus abscessum secundarium in regione lumbali format; aut ureterem in profundam pelvem sequitur, in regione perinaei, prope orificium ani, abscessus conspicitur atque aperitur pus et urinam continens. Qua via abscessus aut in peritonaeum (rene cum illo concreto) aut extra peritonaeum pus emittere potest. Casum rariorem hac de re affert Howship[2]).

---

1) Troja (Michael): Ueber die Krankheiten der Nieren, der Harnblase u. s. w., ein Auszug aus dem Ital. Leipzig 1788. S. 27.

2) Howship, John, a practical treatise of the most important

4) Abscessus extrinsecus rumpitur, in regione lumbali sensim tumor fluctuans exoritur, qui denique aperitur et pus emittit. —

5) Ren cum hepate, liene, ipso diaphragmate concrescere potest, et pus in illa organa, in cavitatem pectoris atque ipsos in pulmones effunditur.

6) Abscessus diversis directionibus rumpi et sibi vias et sinus formare potest. — Meckel casum memorabilem affert, vide librum Heerii[1]).

7. Restat adhuc una forma suppurationis, ubi substantia renalis quasi ut spongia pure est impleta. —

König[2]) casum rariorem ibi affert. —

INDURATIO.

Inflammatione praecipue chronica aut scrofulosa praegressa nonnunquam hic morbus observatur. Febris et signa inflammationis remittunt, dolor fere nullus, solummodo sensus ponderis et frigoris in organo affecto; secretio fere nulla, sic in oculo Xerophthalmos, in renibus urina aquosa, albida. Intumescentia magna, dura, pressu non dolens, in regione glandulae, sic in glandula lacrymali in palpebra superiore in regione canthi oculi externi, quae, si crescit, bulbum oculi ad regionem nasi devolvit, sic in renibus in regione hepatis atque intestinorum; et ibi (fortasse quia nervos et vasa premit) saepe crus atque pedem lateris morbosi torpentes et tabescentes reddit. Hic morbus in duabus glandulis raro observatur; si induratio irritatur scirrhus exoriri potest. —

---

complaints that affect the secretion and excretion of the urine. London 1823. S. 42.

1) Heer (Othmar) Dissert. de renum morbis. Halae 1790. p. 27.

2) König: Prakt. Abhandlung über die Krankheiten der Nieren. Leipzig 1823. S. 131.

Summo iure illustr, Juengken[1]) et Ad. Schmidt[2]) adhuc discrimen instituunt inter indurationem atque scirrhum, quod Beer[3]) et Rosas[4]) minus accurate, confundunt. —

GANGRAENA.

Semper est sequela acerrimae inflammationis, irritatione perdurante. Symptomata nota gangraenae adsunt, inflammatio subito remittit, vires deficiunt, secretio plane est turbata. In glandula lacrymal. hic morbns adhuc non est observatus, sed adesse potest. In renibus multi eum descripserunt ut Lieutand, Haller, Stoll etc. Casum maxime memorabilem enarrat Walter[5]).

HYPERTROPHIA ET ATROPHIA.

Hi morbi raro observantur. Secretio non turbata, in hypertrophia solummodo magnitudo accrescit, quin structura mutetur, interdum sensus ponderis in glandula affecta. In atrophia glandula etsi minima sit facta, attamen secernere potest. —

SCIRRHUS.

Causae permultae scirrhi afferuntur, sic laesiones externae, cura indurationis nimis irritans; saepe etiam praedispositio peculiaris, dyscrasia, scirrhi ortum adiuvare videtur. Glandula affecta, aut toto in circuitu aut singularibus in locis parum tumefacta, duritiem lapideam praebet, in su-

---

1) Juengken: l. c. p. 547.

2) J. Ad. Schmidt: Ueber die Krankheiten des Thränenorgans. Wien 1803. p. 130.

3) G. J. Beer: Lehre von den Augenkrankheiten als Leitfaden etc Wien 1817. Bd. II. p. 243.

4) Rosas: l. c. p. 355.

5) Walter (Fr. Aug.) Nouveaux mem. de l'academie à Berlin 1790—1791. p. 104—105.

perficie inaequalis ac salebrosa sentitur. Aegrotus queritur de dolore aut perpetuo urente aut intermittente, tumorem vehementer quasi perstringente, qui lancinans vocatur. Scirrhus renum quoque ut induratio sensus ponderis, torporis et frigoris in regione lumbali praebet. Solummodo si renes morbo sunt affecti, urina profluere nequit. Diagnosis in homine vivo difficillima; Wilson[1]) casum memoratu dignum refert. —

In scirrho glandulae lacrymalis tumor in cantho oculi externo ortus, bulbum oculi ex orbita depellit, photophobia et Xerophthalmos adsunt, circa tumorem in palpebra superiore striae coeruleae animadvertuntur, quae venis pellucentibus et tumefactis efficiuntur. Fere semper partes adiacentes etiam scirrho afficiuntur. — Beer[2]) dicit solummodo homines scrofulosos ad verum scirrhum glandulae lacrymal. propensos esse. —

STEATOMA, FUNGUS MEDULLARIS ET HAEMATODES.

In glandula lacrymali hi morbi raro observantur magis in tela cellulosa orbitae. Casum rariorem fungi medullaris glandulae lacrym. affert Aumueller[3]). In renibus nonnunquam videbantur, tum urina sanguinea, dolor lancinans et eorum symptomata nota aderant et exitus lethalis consequutus est. Volkers[4]) affert casum praecipue memorabilem, ubi ren degeneratus pondus duodecim librarum habebat.

---

1) J. Wilson: Lectures on the struct. etc. of the male urinary etc. Organs and on their diseases. — p. 284.

2) Op. citat. Bd. II. §. 203. S. 244.

3) Aumueller: De glandulae lacrymal. fungo medullari. Diss. inaugural. Berol. 1833.

4) Edinb. medic. and surgic. Journal. (Vol. IV, p. 273.)

HYDATIDES.

Anatomia pathologica nos duo genera hydatidum docet: 1) Hydatides mobiles, aut propriae, de quibus hic solummodo loquor aut 2) Hydatides immobiles aut impropriae (improprie sic nominatae). — Significant accumulationem fluidi, plerumque serosi sub membranis, quae ab illis in saccum aut vesicam extenduntur. Hydatides propriae plerumque adhuc cysti, in qua autem libere se movere possunt, continentur. Raro talis cystis solummodo unam hydatidem continet, plerumque magnum numerum; ut cystin relinquere possint ruptio eius est necessaria. — Symptomata communia harum glandularum hydatidearum sunt: Dolor premens, profundus; tensio atque tumor magnus (qui inde exoritur quia hydatis accrescens telam cellulosam et partes adiacentes e medio protrudit.) Secretio est perturbata, ultimo autem plane cessat. In renibus, si hydatides aut massa albumini similis evacuatur, firmiorem diagnosin statuere possumus [1]. — Hydatis glandulae lacrymalis iam a multis est observata [2], generatim supra nominata symptomata prae se fert, praeterea coniuncta esse potest cum *Exophthalmo* (ubi bulbus oculi, ab illa depressus, non inflammatur, sed solummodo siccus, rigidus videtur et speciem mortui prae se fert) aut cum *Exophthalmia*, (ubi bulbus inflammatus est, in suppurationem transit, cornea rumpitur et humores oculi effluunt.) Cetera symptomata in oculo, spatii causa, afferre non licet, in scriptis autem iam citatis legi possunt. —

CALCULI. LITHIASIS.

In glandula lacrymali primo celeberrimus Ph. a. Walther [3]) calculos observavit. Hic principalia symptomata

---

1) Lettson: Two cases of hydatides renales in Mem. of the Lond. med- soc. Vol. II, p. 32—42.

2) A. Schmidt: l. c. p. 73. J. Beer: l. c. Vol. II, p. 597. §. 9.

3) von Graefe und von Walthers Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. I. Bd. 1stes Heft. S. 163.

fuerunt: Ardor atque punctio molesta, cum photophobia et stillicidio lacrymarum in oculo sinistro. Paulo post in illo loco, ubi coniunctiva marginem anteriorem glandulae lacrym. obtegit, calculum albidum, cuspidatum magnitudine pisi animadvertit, qui digito facile conterere potuit, quemque mox complures calculi sequuti sunt. Aegra morbo sanata est.

In renibus saepe calculi inveniuntur [1]) et quidem hic in pelvi atque calyce renali, rarius in substantia tubulosa aut medullari. Causae praedisponentes sunt autem generaliter: a) propria diathesis calculosa, quae plerumque adest aut b) vis localis, morbosa renum. Causae occasionales: a) inflammatio renum, b) suppuratio, c) omnia, quae urinae defluvium ex calycibus renal. in pelvem renal. et ex hac in ureterem retinere possunt, d) arthritis et eius genera, e) indoles hereditaria. — Symptomata permulta existunt, saepe autem multa non adsunt et tum diagnosis difficillima. Praecipue afferunt: Dolorem prementem, trahentem aut lancinantem in regione lumbali, qui cibis sumtis, aut corporis motionibus, sic etiam si alvus deiicitur, augetur, et saepe usque ad regionem ventriculi aut vesicae extenditur. Urina valde variatur, modo aquosa, modo normalis, sanguinea aut turbida videtur. — Nausea et vomitus, spasmus, trepidatio, sensus ponderis atque doloris in crure et coxa lateris morbosi; testes ad annulum abdominalem adducuntur, saepe febris adest et aeger facile irritatur. — Longiora hoc de morbo inveniuntur in libris supra citatis. —

ULCERA.

Ulcera harum glandularum variis ex causis oriri possunt. Vulnera glandulam ulcerosam relinquere possunt,

1) J. Wilson: l. c. p. 170. Walter: Memoires de l'academie de Berlin 1790—1791. p. 107. Troja: l. c., p. 58. Howship: l. c. p. 109. Prout: Untersuchungen über das Wesen und die Be-

attamen saepius ulcera inflammationi glandularum praegressae originem debent. — In renibus plerumque diagnosis difficillima est quia solummodo ex secretione puris, ichore tenui aut sanguine mixti, aliquid coniicere possumus. (Comparentur hic ea, quae apud abscessum renum commemorata sunt.) In glandula lacrymal. autem. quia corporis superficiei propior, explorationi et observationi magis patet, saepius inveniuntur et certiorem diagnosin constituunt. Ulcera, si sanitatem spectant saepe hic porum fistulosum relinquunt; discernimus ergo:

1) *Ulcus fistulosum glandulae lacrymalis pendens a carie processus orbitalis frontis.*[1]) Sequela dacryadenitidis ubi periorbita, et ita os ipse afficiebatur, ut caries exoriretur. Cognoscitur: ex inflammatione et suppuratione praegressis, ex effluxu magnae copiae saniei foetidae, nigrae; porro conspicitur in apertura ulceris fungus sanguinans, cutis ibi est rubra et aliquid callosa; in fovea lacrymali digito durities animadvertitur, et si specillum inseritur, primo porum fistulosum coarctatum, callosum, tum magnam cavitatem in fundo ulceris et partem ossis hirsutam et asperam sentire possumus.

2) *Fistula glandulae lacrymalis.* — Neque pus neque ichor ex coarctata, callosa apertura ulceris profluit, sed lacrymae limpidae, aquosae stillatim secernuntur. Inflammatio et suppuratio prius adfuerunt. Foramen cutaneum huius fistulae est prope angulum temporalem atque tam tenue et angustum ut vix videri possit, color cutis adiacentis non est mutatus, profunde neque duri neque asperi aliquid sentitur; specillo inserto statim lacryma apparet, dolor non adest. — Si ductus excretorius glandulae

---

handlung des Harngrieses u. s. w. aus dem Engl. Weimar 1923. Earle in den Medico-chir. Transact. Vol. XI. part. 1.

1) A. Schmidt: l. c. p. 148.

affectus est, lacrymae maiori copia funduntur, quam si glandula ipsa laesa est. —

II. MORBI URETERUM CUM MORBIS CANALICULORUM LACRYMALIUM COMPARATI.

Ureteres sunt aeque ac canaliculi lacrymales ductus membranacei, intus membrana mucosa, externe membrana cellulosa formati, qui fluidum, propria glandula composita secretum, ad receptaculum peculiare ducunt. Itaque quoad pathologiam hac ratione mutari possunt:

1) *Irritatione* (rebus alienis, sanguine, calculis, secreto ipso.)

2) *Inflammatione* (inprimis calculis aut corporibus alienis ibi inclusis.)

3) *Stenochoria et atresia.* (Plerumque sequelae inflammationis, etiam calculis, muco aut sanguine inclusis).

Raro hi morbi soli observantur plerumque etiam partes adiacentes sunt affectae, quae tum his canalibus membranaceis morbum communicant.

III. MORBI VESICAE URINARIAE CUM MORBIS SACCI LACRYMALIS COMPARATI.

Saccus lacrymalis aeque ac vesica urinaria sunt receptacula fluidi in glandula composita secreti, quod peculiari

ductu emittunt. Jam Petit[1]) eorum similitudinem descripsit. — Interne membrana mucosa (in sacco lacrymali membrana mucosa narium contenuata) externe membrana fibroso-cellulosa atque fibris muscularibus formantur, quae fibrae nonnullis in locis proprium musculum constituunt, scilicet Sphincterem et in vesica adhuc detrusorem urinae. — Nonnulli praecipue autem Bordenave[2]) et Adam S·hmidt[3]) negant hunc musculum in sacco lacrymali adesse. Multi autem et primo Janin[4]) tunc Richter[5]) etiam Hildebrand[6]) et experimentis et conclusionibus hunc musculum existere, demonstrarunt, atque A. Schmidt, quamquam multa molesta verba facit, minime autem experimenta aut observationes anatomicas instituit, eorum sententiam deiicere non potest. Latius hac de re loqui plane a proposito meo abhorret nam solum rationes pathologicas tractare in animo est. —

Saccus lacrymalis et vesica urinaria in eorum morbis magnam similitudinem prae se ferunt, laesionibus externis et praecipue internis afficiuntur, quae eorum figurae et func-

---

1) J. L. Petit: Traité des maladies chirurgicales etc. Paris 1774 Tom. I. p. 299:

„En effet, les points lacrymaux déposent les larmes dans le sac lacrymal, comme les ureteres déposent les urines dans la vessie. Le canal nasal conduit les larmes dans le nez, comme l'uretre conduit les urines au dehors; l'obstruction de celui-ci est cause de la retention des urines dans la vessie, et l'obstruction du conduit nazal qui empêche les larmes de couler dans le nez, les retient dans le sac lacrymal."

2) Memoires de l'academie royale de Chirurgie. Tom. II. p. 167.

3) Op. citat. p. 178.

4) J. Janin: Abhandlungen und Beobachtungen über das Auge und seine Krankheiten. Aus d. Franz. Berl. 1776.

5) Richter: Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Bd. II. §. 467.

6) Hildebrand: Handbuch der Anatomie des Menschen 4te Aufl. von Weber. Braunschweig 1832. S. 65.

tioni imminent, et saepe molestum chronicum morbum constituunt. —

IRRITATIO.

Irritamenta aut externa sunt aut interna. a) Externa: conamen secandi ibi ruditer et inepte institutum, omnia, quae congestiones sanguinis ad illa organa excitare possunt, ut medicamina acria, vesicatorium, in vesica etiam corpus alienum in urethram ingestum, masturbatio etc. b) *Interna:* Calculi ex glandulis descendentes, mucus ipsius organi, secretum nimis longe ibi retentum, et caetera.

Ad diagnosin stabiliendam conferunt: Cognitio horum irritamentorum, tum sensus iniucundi et doloris in regione organi affecti, secretio aliquid adaucta. Irritamentis diutius durantibus irritabilitas adaucta et haud raro inflammatio cieri potest.

IRRITABILITAS ADAUCTA.

Francogalli hunc morbum in vesica „*vessie irritable*" Angli: „*irritable bladder*" vocant. — Subdivisionem hic adhuc instituere debemus in a) Irritabilitatem adauctam quod secretionem attinet — *Catarrhum, bloenorrhoeam* — et b) Irritabilitatem adauctam musculorum — *Spasmum.* —

a) CATARRHUS. BLENNORRHOEA.

Inprimis homines scrofulosi vel arthrithici affciuntur. — Causae occasionales sunt: refrigerationes, inflammatio praegressa, calculi, remedia irritantia; in vesica adhuc: coitus nimis frequenter repetitus, onania, ulcera urethrae, haemorrhoides, vermes intestinorum. — Hic morbus in membrana mucosa propriam sedem habet, illa fit languida et relaxata, interdum etiam granulationibus obtegitur. Secretio est valde adaucta atque

cum magna muci copia mixta. In sacco lacrym. dolor lancinans, non fixus, cum sensu ardoris et tensionis in regione vesicae. In blenorrhoea sacci lacrymalis etiam haec observantur: Initio rubor, dolor, secretio muci in cantho oculi interno, nasus lateris affecti est siccus (Xeromycter), tum, ubi saccus lacrymalis iacet, tumor mollis et elasticus sine dolore erigitur, qui pressu magnam lutei, puriformis muci copiam ex punctis lacrymalibus emittit. Qua secretione coniunctiva, membrana semilunaris et caruncula lacrymal. rubent et corroduntur, crustae muci mane in oculo inveniuntur. Saepe hic inflammatio et suppuratio accedunt, quae nonnumquam fistulam sacci lacrymalis relinquunt. — In catarrho vesicae adhuc cognoscuntur: Urina multo muco mixta, turbida, subsidentiam habet, et in ea quasi nubeculae innatant, quae in imum deferuntur; mucus interdum tenuis, interdum tenax. Urina ibi secundum Cabanis[1]) ammoniacum olet. Si permultum urinae profluit dysuria et etiam spasmus exoriri potest. —

b) SPASMUS.

Hic morbus in membrana musculosa ex contractione innormali musculorum (praecipue sphincteris) exoritur. Provocatur irritationibus mechanicis aut chemicis, spasmo universali vel organi adiacentis. Observatur: dolor lancinans, in accessionibus veniens, qui modo venit, modo remittit; nulla febris, pulsus spasticus. Secretio est perturbata, ergo in sacco lacrymal. dacryostagia et Xeromycter lateris morbosi; in vesica: urina aquosa, quae modo guttatim venit; interdum autem nihil secernitur. Spasmum glandulae lacrymal. Rosas[2]) bene descripsit, dicit illum in sanationem, in inflammationem aut in paralysin abire posse. — In spasmo vesicae dolor antrorsum ad urethram se ver-

1) Cabanis: Observations sur les affections catarrhales en général etc. Paris 1807.

2) Rosas: op. cit. Bd. II. S. 383.

tit, glandem irritat et priapismos provocat. — Quum urina ex vesica profluere nequeat, in ureteribus accumulatur, itaque dolorem in regione lumbali, sacrali, in testibus atque ipsis in cruribus excitat. Vesica, quasi durum in globum contracta rectum premit et ita tenesmum, tympanitidem abdominis et prolapsum ani provocat, quibus mors saepe finem imponit. —

IRRITABILITAS DIMINUTA,

Paralysis.

Organon affectum se contrahere non potest, hic morbus spasmo igitur plane oppositus est. Hic extensione innormali fibrae musculares se contrahere et ita receptaculum impletum evacuare non possunt. Exoritur irritabilitate diminuta atque debilitate totius corporis, ergo praecipue in senectute, spasmo aut inflammatione praegressis, abusu remediorum acrium, secreto nimis irritanti et acri, affectibus animi nimis irritantibus, ut ira, stomacho, terrore. In vesica — *Urocystoplegia* — symptomata inter se differunt secundum partes vesicae affectas et quidem:

a) Corpus vesicae est affectum. Urina ibi quidem profluit, solummodo autem ea, quae in vesica remanet. Contractio incompleta, effluxus tantum pressu partium adiacentium efficitur. Vesica sacciforme extensa sentitur. Aegroto sensus ponderis et tensionis in loco affecto, et urina reddita sensus ac si haec desideria naturae non plane satiasset. Interdum complicatio cum anaesthesi aut cnm catarrho adest. —

b) Collum est affectum. Ibi dolor non adest, urina procedens ex ureteribus profluit, incontinentia urinae adest, paralysis corporis vesicae antecedere potest. —

c) Corpus et collum sunt affecta. — Vesica ibi est extensa quia corpus laborat, collum etiam est apertum, ergo stillicidium urinae adest et urinam, si vis, exprimere potes. —

Mira complicatio est cum spasmo, et quidem observantur:

a) paralysis colli et spasmus corporis et b) spasmus colli et paralysis corporis vesicae. —

In paralysi organorum lacrymas deferentium Rosas [1]) haec symptomata affert: Relaxatio cutis in cantho oculi interno, palpebra inferior ibi est aliquid externe reflexa, puncta lacrymalia sunt dilatata, papillae lacrymales minime impediunt, quominus specillum in saccum lacrymalem progrediatur. Dacryostagia adest; si humor quispiam in canthum oculi internum instilletur, non per vias lacrymas deferentes sed genis defluit. Ex canaliculis digito compressis aliquid muci evacuatur, denique Xeromycter lateris morbosi adest. — Hoc malum in stenochoriam atque atresiam abire potest. —

INFLAMMATIO.

Inflammatio sedem habet aut in membrana mucosa aut in membrana fibro-cellulosa horum organorum, plerumque autem utraque membrana simul afficitur. Causae praedisponentes sunt: Scrofulae, arthritis, syphilis, lithiasis, catarrhus membranae mucosae, spasmus; in vesica quoque haemorrhoides; in sacco lacrym. autem stenochoria canalis lacrym., qua lacrymae retinentur, inflammatio erysipelatodes palpebrarum vel inflammatio periostei adaicentis [2]). Causae occasionales sunt: Laesiones vel contusiones regionis ubi organon iacet, blennorrhoea chronica vel acris, abusus remediorum irritantium (diureticorum), retentio secreti proprii aut secretum alienatum, irritans vel acre; affectiones animi ut ira, stomachus, tristitia.

Symptomata communia sunt exigua nam ibi multum pendet ab secreto et a vicinia. — Dolor lancinans, urens, premens, pulsans in regione affecta, qui pressu augetur, mox etiam partes adiacentes corripit, calor magnus, febris et sitis acerba,

1) Rosas: Op. cit. p. 384.

2) Krimer: Exostose des Thränenbeins als Ursache einer Thränenfistel, siehe in Graefe u. Walthers Journal XII. Bd. S. 156.

pulsus inaequalis, durus, febrilis, secretio aut plane est perturbata aut alienata. — In urocystitide adhuc observantur: Impetus quidem ad urinam faciendam, sed urina vere reddi non potest, quod dolorem auget, paucum urinae, quod mittitur est fuscum, rubrum, mucosum, fibrosum, turbidum immo vero sanguineum. Dolor in intestinis et praecipue in recto, inquies magna, nausea, vomitus, interdum incontinentia urinae, insultus tendinum, horror, frigus extremitatum, delirium et denique mors. — Hunc morbum vitae periculum afferre posse iam Hippocrates nobis demonstravit [1]). Catheterismus, si illum tentare vis, magnum dolorem excitat. — Si collum vesicae est inflammatum tum urina retenta magnum tumorem fluctuantem supra ossa pubis format. — Si corpus vesicae est inflammatum, tunc urina in ureteribus retinetur, qui permagna extensione inflammari et rumpi possunt. — Si pars posterior vesicae inflammata est, tum intestinum rectum simul afficitur, vasa haemorrhoidalia pulsant, dolorque tenesmo similis exoritur.

In dacryocystitide [2]) adhuc observantur: Dolor a sacco lacrym. incipiens usque ad nasum extenditur; lacrymae, quia non ad nasum pervenire possunt, in lacu lacrymali congregantur et a genis defluunt. In regione ubi saccus lacrymal. iacet tumor circumscriptus, durus, ad fabae magnitudinem elevatur, qui cute non rubefacta sed normali obtegitur, atque si illum premis dolet et lacrymae limpidae ex punctis lacrymalibus profluunt. Mox partes adiacentes, ut cutis, caruncula lacrymal. et coniunctiva scleroticae inflammantur, tumor nunc rubescit, interdum nunc gena lateris affecti, ut in erysipelate faciei, tumescit. — Nunc morbus facile in suppurationem transit.

---

1) Κύστιες δὲ σκληραί τε καὶ ἐπώδυναι δειναί μεν παντελῶς και ὀλέθριαι· Ὀλεθριώταται δὲ ὁκόσαι ξὺν πυρετῷ συνεχεῖ γινονται, καὶ γὰρ οἱ ἀπ' αὐτέων τῶν κυστέων πονοι ἱκανοὶ ἀποκτεῖναι. Coacae Praenotationes edit. Dureti. Paris 1621. p. 356.

2) Juengken: op. cit. p. 162.

SUPPURATIO ET ASBCESSUS.

Inflammatione neglecta, chronica facta, aut curatione perperam instituta facile suppuratio exoritur. — Symptomata hic subito crescunt, secretio fit mucosa et in vesica iam purulenta In dacryocystitide: dolor pulsans, sensus frigoris et ponderis in loco affecto, genae et palpebrae ita tumescunt ut aeger oculos attollere nequeat, tumor in regione sacci lacrymal. augetur, se acuminat, fluctuatio ibi dilucide sentitur, ac denique punctum suppurationis conspicere licet, abscessus rumpitur et pus muco et lacrymis mixtum evacuatur. Nunc omnia symptomata remittunt et solummodo ulcus fistulosum remanet.

ULCERA ET FISTULAE.

Inflammatio chronica, suppuratio abscessus, aut blennorrhoea chronica antecesserunt, multum etiam dyscrasiae et curatio perperam instituta ad ulcera provocanda valent. — Tunica intima vesicae aut sacci lacrymalis loco quodam epithelio privatur, dolor fit lancinans atque urens; materia tenuis, acris, foetida, muco atque pure mixta in vesica per urethram, in sacco lacrymal. autem per puncta lacrymal. aut per nasum evacuatur. Diversis in locis vesicae ulcera et hanc ab causam etiam fistulae observata sunt: *a) in inferiore parte.* Si hic membranae vesicae ulcere eroduntur, urina ad telam cellulosam adiacentem, tum ad perinaeum et scrotum pervenit ubi inflammatione, suppuratione et abscessu fistulas urinae excitat. *b) in anteriore parte.* Urina ad telam cellulosam musculorum abdominis pervenit, et usque ad pectus fistulas extendit [1]). — *c) in superiore parte.* Urina in abdomen profluit et peritonitidem lethiferam excitat [2]) aut

---

1) S. T. Sömmerring: Ueber die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase u. Harnröhre. Frankfurt a. M. 1809. S. 33.

2) Baillie: The morbid Anatomy of some of the most important parts of the human Body Lond. 1793. Chap. 6.

communicatio inter vesicam et intestinum exoritur [1]. *d) in posteriore parte.* Hic vesica plerumque cum intestino recto communicationem instituit, urina in rectum et faeces in vesicam perveniunt [2]. Hunc morbum periculosum esse iam Celsus [3]) bene novit. —

Ulcera sacci lacrymalis aeque ac ulcera vesicae eius anteriorem, posteriorem aut lateralem partem perforare et sic fistulam constituere possunt, ex qua lacrymae, multo muco atque pure mixtae, profluunt. Si ulcus anteriorem sacci lacrym. partem perforat, nominatur:

a) Ulcus fistulosum anterius sacci lacrym. — Hoc plerumque observatur, saepe fistulam, atresiam canalis nasalis aut canaliculorum lacrymalium et ectropium palpebrae inferioris relinqnit. Hic adhuc distinguere possumus: fistulam sacci lacrym. incompletam, quae rursns dividitur in completam simplicem et compositam; quas autem tempore et spatio mihi deficiente, ibi explicare non possum, egregiam definitionem in libro Prof. Juengken [4]) invenies. — Si ulcus posteriorem partem sacci lacrymal. perforat nominatur:

b) Ulcus fistulosum posterius sacci lacrymal. Hic saepe periosteum morbo afficitur et caries ossis unguis exoritur, quam Scarpa [5]) bene descripsit. Ex naso lateris morbosi pus tenue, acre, decolor, foetidum defluit. Caries ossa vicinia afficere potest, plerumque autem atresia canalis nasalis et defluxus lacrymarum per nasum, apertura innormali cariosa relicta, remanent. — Si ulcus partes laterales sacci lacrym. perforat, nominatur:

c) Ulcus sacci lacrym. fistulosum ambilaterum. Ostia cutanea

---

1) J. P. Frank: oratio academica de vesica urinali ex vicinia morbosa aegrotante. Ticini 1786.

2) Albinus: Annotationum academicarum. Lib. VII. Chap. 13.

3) Celsus: de medicina. Libro VII. Chap. 27.

4) Op. cit. p. 416.

5) A. Scarpa: Praktische Abhandlung über die Augenkrankheiten u. s. w. übersetzt von H. Martens. Leipzig. I. Bd. S. 39.

fistulae ibi sunt sublivida, fungo circumdata et ichor foetidus, tenuis; nigricans profluit.

CALCULI. LITHIASIS.

Calculi partim ab eorum glandulis in haec organa descendunt, partim in organis ipsis formantur et irritationem, inflammationem, blennorrhoeam, spasmum, suppurationem et ipsa ulcera ciere possunt, quos morbos iam novimus. Si calculi non auferri possunt vitae ipsi periculum imminent.

IV. MORBI CANALIS NASALIS CUM MORBIS URETHRAE COMPARATI.

Quoad anatomiam hi canales membranacei solummodo hac in re analogiam praebent, quod interne membrana mucosa sunt obtecti et quod secretum, propria in glandula formatum et in receptaculo accumulatum, externe emittunt. — Maiorem concordiam hanc ab causam habere non possunt, quia urethra externe libere se aperit, canalis nasalis autem in aliud organon intrat et ibi secretum suum evacuat. — Pathologice autem haec organa maiorem similitudinem prae se ferunt, sic irritatione, irritabilitate adaucta, catarrho, blennorrhoea, spasmo, paralysi, inflammatione, suppuratione, ulceribus et calculis paene eisdem symptomatibus afficiuntur, quae plerumque in morbis vesicae et sacci lacrymal. iam descripsi, ne igitur repetitionem molestam instituam, ibi sola commemoratio horum morborum sufficiat. Duos morbos autem praeterire nequeo, scilicet stenochoriam et atresiam.

STENOCHORIA s. STRICTURA ET ATRESIA..

Inflammatione chronica vel blennorrhoea praegressa saepe membrana mucosa his in organis crescit atque intumescit et ita canalis aut coarctatur aut plane obstruitur.

Juengken [1]) suo in libro tres species stenochoriarum distinguit, quae etiam in urethra occurrere possunt, et quidem: 1) *Stenochoria mucosa.* Canalis secretione muci adaucta coarctatur. — In canali nasali hic morbus saepe in hominibus scrofulosis, inflammatione chronica praegressa, exoritur. Tumor modicus in regione sacci lacrymal. sine dolore elevatur, in morboso latere Xeromycter adest, et nonnumquam si aeger vehementer se emungit, aliquid effluit, tumorque diminuitur. Tumor, si ab inferiore parte ad superiorem partem comprimitur, plane evanescit, lacrymis et muco in canthum oculi internum evacuatis. — In urethra haec stenochoria plernmque dysuriam provocat, fere semper autem viribus naturae aut catheterismo tollitur.

2) *Stenochoria simplex.* — Membrana mncosa ibi extenditur et intumescit. In canali nasali: Xeromycter lateris morbosi, tumor in regione sacci lacrym. qui solum in canthum oculi internum evacuari potest, ubi multum muci albidi, fluidi ex punctis lacrym. provenit. Dolor non adest; tales oculi autem saepe inflammatione catarrhali laborant, tum saccus lacrym. etiam afficitur, membrana mucosa epithelio orbatur et nunc facile stenochoria mucosa exoritur. — In urethrae stricturis primum dysuria, tunc stranguria et denique ischuria adest [2]). Plerumque canalis urethrae post stricturam impetu urinae dilatatur; strictura autem urina irritatur et inflammatur et sic blennorrhoea apparet. Si strictura semper augetur, impetus urinae fit fortior, tunica intima destruitur, et plane, ut dicunt, rumpitur, urina in telam cellulosam penis defluit, inflammationem et suppurationem excitat atque fistulae urinae exoriuntur, quas Ducamp [3]) egregie descripsit.

---

1) Op. citat. pag. 630.

2) Sömmerring: (op. cit. p. 125).

3) Ducamp, Th.: Traité de retentions d'urine causées par le rétrécissement de l'urètre, et des moyens à l'aide desquels on peut détruire complètement les obstructions de ce canal. Paris 1822. p. 29.

3) *Stenochoria sarcomatosa.* Beer et Rosas hunc morbum in canali nasali: *Hydropem sacci lacrymalis* vocant, quod nomen autem, quia hic morbus ne flocci quidem hydropi similis est, plane reiiciendum est. Canalis nasalis hic excrescentiis carnosis vel sarcomatosis est coarctata. Ibi tumor in cantho oculi interno conspicitur, pressu mucus acer et tenax effluit, Xeromycter adest et saepe inflammatio accedit. Plerumque saccus lacrym. simul hoc morbo laborat. In urethra etiam excrescentiae, ut ita dicam, sarcomatosae stricturam excitare possunt ut Sömmering[1]) et Allie[2]) nobis affirmant.

Atresia et in canali nasali et in urethra raro observatur. In urethra solummodo tum exoritur, si pars pone stricturam sitam ulcere est destructa et fistula adest, tum anterior urethrae pars plane est conglutinata et concreta. — In atresia canalis nasalis saccus lacrymal. est extensus et ubi canalis nasalis iacet cicatrices inveniuntur; nam ibi atresia solummodo laesionibus chemicis aut mechanicis praegressis exoritur. —

1) Sömmering: op. cit. p. 122.

2) Allie: Traité des maladies de l'urèthre. Paris 1755.

VITA.

Ego, Josephus Roderburg, fidei catholicae addictus, natus sum Aquisgrani die secundo mensis Junii anno huius saeculi decimo quinto, patre Henrico Josepho Roderburg, medico practico, et matre dilecta Philippina, e gente Cruemmel, quos parentes optimos adhuc supperstites sincero animo mihi gratulor, simulque pie precor, ut Deus Optimus Maximus ad seros usque annos eorum vitam servare velit. — Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Aquisgranense adii, quod sub auspiciis Illustr. Dr. Schoen, dilectissimi atque in aeterna aestumatissimi praeceptoris, floret. Ibi lectiones praeceptorum meorum per annos septem et dimidinm integros frequentavi. Medicae vero arti me dedicaturus, anno XXXIV h. s. tempore autumnali, post superatum maturitatis examen, almam universitatem Rhenanam adii, ibique a Rectore t. t. magnifico Ill. Naeke academicorum civium numero adscriptus, atque apud ordinis gratiosi medicorum t. t. Decanum maxime spectabilem Ill. E. Bischoff nomen professus sum. — Hae sunt, quae per tres annos et dimidium ibi frequentavi lectiones:

A. PHILOSOPHICAE.

Logice et psychologia apud Ill. van Calker; physice experimentalis apud beat. a Münchow; chemia experimentalis, phytochemia ac zoochemia apud Ill. G. Bischoff; botanice apud Ill. Treviranus; zoologia et zootomia Ill. Goldfuss; mineralogia apud Ill. Noeggerath; aesthetice apud Ill. Dellbrück. —

B. MEDICAE.

Anatomia generalis et specialis apud Ill. Mayer et Ill. Weber, qui mihi quoque in cadaveribus disse-

candis duces fuerunt et moderatores; encyclopaedia et methodologia medica, materia medica apud Ill. E. Bischoff; Physiologia apud Ill. C. Windischmann; pathologia tum generalis tum specialis, nec non semiotice; de morbis syphiliticis dignoscendis et curandis apud Ill. Albers; therapia generalis et specialis, anthropologia, morbi psychici, disputationes de casibus clinicis apud Ill. Fr. Nasse; Diaetetice, magnetismus animalis apud Ill. Ennemoser; Chirurgia, akiurgia, anatomia chirurgica, pathologia et therapia morborum oculi et doctrina de fasciis rite applicandis apud Ill. Wutzer; de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de ossibus fractis et luxatis, de morbis mulierum et infantum disserentem audivi Ill. Kilian. —

Praeterea duces mihi fuerunt in clinico medico per annum Ill. Nasse, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum Ill. Wutzer; in clinico obstetricio per annum et in exercitationibus in phantomate instituendis Ill. Kilian. —

Tempore verno huius anni civibus universitatis litterariae Fridericae Guilelmae adscriptus a Rectore magnifico Ill. Boeckh, Decano maxime spectabili Ill. Wagner nomen dedi, quem per semestre aestivum de medicina forensi disserentem audivi. — Praeterea scholis clinicis medicis Cel. Wolff; ophthalmiatricis Cel. Juengken, policlinico medico-chirurgico Cel. Truestedt, clinico obstetricio Cel. Busch interfui. —

Ex mense Junii huius anni in cohorte octava legionis Alexandri, imperatoris, chirurgi militaris munere fungor, duce viro Cel. Richter, ut reipublicae legibus satisfaciam.

Quibus omnibus viris egregiis, optime de me meritis, gratias maximas habeo et in aeternum habebo. — Jam vero tentaminibus et philosopico et medico, nec non examine rigoroso absolutis, fore spero, ut dissertatione adnexisque thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES.

1) In sacco lacrymali re vera musculi observantur.
2) Fons primarius caloris animalis in systemate nervoso est.
3) Ophthalmiarum diagnosis quoad anatomiam instituta ceteris praestat.
4) Inter indurationem et scirrhum bene distinguendum.
5) Omnes sanare morbos non licet.
6) Punctio vesicae supra arcum ossium pubis, praeferenda est punctioni per intestinum rectum.
7) Nulla certa virginitatis signa.
8) In partus decursu perinaei sustentatio minime negligenda. —